

et Curiae contumaces, vel proscripti in dies confugiunt, ibique loci immunitate freti turpiter, ac dissolute viventes, atque inde in tempore exeuntes graviora perpetrant flagitia cum maximo populi scandalo. Cumque Conventus, sive loca parva hujusmodi in effrenatam quasi excreverint multitudinem, hinc licet omnibus intelligere quaecumque reformationis remedia cassa fore, et irrita, quamdiu non fuerint a Religionibus abscissa. Quae potest enim spes esse corpus languidum, et infirmum ad salutem reducendi, si magna illius pars est curationis incapax, quin potius reliquam partem inficit, atque contaminat? Haec quippe sunt zizania, quae cum jam creverint usque ad messem, sunt in fasciculos alliganda, et a Religionum tritico separanda. Haec sunt vulpes parvulae, quae demoluntur vineas. Hoc est fermentum, quod totam massam corrumpit.

§ 2. Quae omnia, atque alia plura pro Pastoralis nostrae sollicitudine diu, multumque animo revolventes, ut sacrae Religiones in multitudinem latius incremento fecunditatis per universam Ecclesiam diffusae a vepribus, et spinis mundatae uberes germinent fructus: Nos etiam ab ipsismet Religionum Superioribus reformationem zelantibus crebris precibus interpellati, et frequentibus populorum querimoniis permoti, salutare remedium adhibere consulta ordinatione decrevimus. Itaque de voto Congregat. aliquorum Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinal. et dilectorum filiorum Roman. Curiae Praelatorum super statu Regularium a nobis deputatae, cui hoc negotium sedulo ac mature examinandum commisimus, motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestate plenitudine, omnes, et singuli Conventus quorumcumque Monachorum, ac Regular. virorum bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cujuscumque Ord. Mendic. vel non Mendicantium, Congr., Societ. et cujusvis alterius Instituti, etiam Soc. Jesu, etiam si illis animarum cura personarum saecularium incumbat, sintve Hospitia, vel Grangiae, seu alterius Monasterii membra, existentes intra fines Italiae, et Insularum adjacentium literis ab eadem Congregat. propediem expediendis nominatim exprimendos, in quibus ob parvum numerum Religiosorum Regularis disciplina, juxta peculiariora cujusque Ordinis Instituta, servari non potest, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo extinguimus, supprimimus, et abolemus una cum omnibus eorum dignitatibus, officiis, ac ministeriis, illosque ab omni proprietate, dominio, superioritate, jurisdictione, ac alio quocumque jure Regularium eximimus et totaliter liberamus, omnemque conventualitatem, titulum, essentiam, ac denominationem regularem in eis penitus extinguentes, illos ad statum saecularem reducimus. Reservata tamen ipsi Congregat. facultate conservandi Religionibus aliquem ex Conventibus expressis in memoratis literis, si hoc aliqua rationabili causa expedire judicaverit, salvis etiam

juribus, quae Fundatoribus Conventuum, sic suppressorum, vel aliis ex Sacrorum Canonum praescripto, vel ex privilegio Apostolico quomodolibet competunt.

§ 3. Quocirca dilectis filiis quorumcumque Regularium superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus, et localibus, quocumque nomine, ac titulo nuncupentur, in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus, et mandamus, ut singuli ad quos pertinet, infra terminum sex mensium inchoandum a praedicta Congr. ut praemittitur expediendarum faciendarum in Rom. Curia Procuratori Generali cujusque Ord. vel Congr. aut Societ. dimittant realiter, et cum effectu coram Ordinariis locorum sub testimonio publico eidem Congreg. per eosdem Superiores Regulares exhibendo, possessionem corporalem Conventuum in eisdem Literis expressorum, et reservata eis facultate secum asportandi profanam tantum, non autem sacram supellectilem, religiosos inde amoveant, atque in aliis Monasteriis ejusdem Ordinis, vel Congr. aut Soc. collocent, alioquin poenas privationis voeis activae et passivae, nec non dignitatum et officiorum, quae tunc temporis obtinebunt, perpetuae inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda ipso facto absque alia declaratione incurrant.

§ 4. Eoque termino elapso, non liceat Regularibus in Ecclesiis ditorum Conventuum Missas, et divina officia celebrare, Confessiones Sacramentales audire, vel alia Sacramenta administrare, ac functiones Parochiales exercere, aut verbum Dei praedicare, vel mortuos sepelire. Quod si secus egerint, eo ipso Ecclesiae remaneant suppositae Ecclesiast. interdicto. Et nihilominus locorum Ordinarii, ubi per literas ipsius Congr. fuerint requisiti, Religiosos rebelles, et refractarios a praedictis Conventibus ejiciant, etiam invocato, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, et exinde Ecclesiarum, Domorum, bonorumque omnium ad Conventus sic oppressos quomodolibet pertinentium regimen, curam, custodiam, et administrationem suscipiant, curentque, ut ex eorum redditibus, et proventibus universis in primis, et ante omnia impleantur onera Missarum tam huc usque non celebratarum, quam in posterum celebrand. et alia quaecumque ex lege fundationis, aut largitione fidelium, vel alias quomodolibet eis incumbant, quibus nullo modo derogare intendimus, et cura animarum, si qua illis imminet, per Presbyteros saeculares idoneos ab ipsis Ordinariis approbandos laudabiliter exerceatur, ut Ecclesiae debito non fraudentur servitio. Caeterum intendentes de praedictis bonis quot superfuerint oneribus ut supra detractis, salubriter providere, earumdem tenore praesentium bona hujusmodi applicamus, et applicata esse decernimus, et declaramus piis usibus in eisdem locis, ubi siti sunt Conventus, iisque non indigentibus, in aliis locis ejusdem Diocesis, juxta designationem, et partitionem, quam eadem Congr. singulorum Episcoporum cum suis Capitulis sententia prius audita, et plena totius negotii relatione ha-

bita, de mandato nostro faciet in suis literis ad eosdem Episcopos scribendis, et in Cancell. Episcopali registrandis ad perpetuam rei memoriam.

§ 5. Verum quia parum est mala praecidere, nisi etiam malorum causa, et radix evellatur, Const. fel. rec. Bonif. VIII, quae incipit: *Cum ex eo*, nec non Clement. VIII, incip. *Quoniam ad institutam*, aliorumque Rom. Pont. Praedecess. nostrorum super erectione novorum Conventuum editas earumdem tenores innovantes, illisque addentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regular. Ordin. Mendicantium, vel non Mendicantium, Congr. Soc. et cujusvis alterius Instituti, etiam Soc. Jesu in aliqua civitate, Castro, Villa, seu loco ad habitandum Domo, vel loca quaecumque de novo recipere, seu Monasteria, Conventus, vel Collegia incipere, vel fundare praesumat absque Sedis Ap. licentia speciali plenam, et expressam faciente de prohibitione hujusmodi mentionem in scriptis, et gratis concedenda, praevia examinatione Congreg. negotiis Episcoporum, et Regularium praeposita; si secus egerint, eo ipso incurrant poenas privationis, inhabilitatis ut supra inflictas, et nihilominus receptiones, fundationes, et erectiones sint ipso jure nullae, et invalidae; et Domo, ac loca ipsa, et personae in eis degentes omnimodae jurisdictioni, visitationi, correctioni Ordinarii loci plene in omnibus subiaceant. Intendimus autem in praemissis etiam ultra Italiam, et Insulas adjacentes, prout expedire videmus, providere.

§ 6. Decernentes praesentes Literas etiam ex eo, quod Superiores Regulares, et caeteri, quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno inexcogitato, et substantiali, sive etiam ex eo, quod in praemissis, seu eorum aliquo solemnitate, et quaevis alia servanda, et adimplenda servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, aut quocumque alio colore etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa quantumvis justa, rationabili, et privilegiata etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, et aliis superius expressis, seu relatis nihil appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, facti, gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concessio, et impetrato quempiam uti, seu se jvare in judicio, vel extra posse neque ipsas praesentes sub quibusvis similibus vel dissimilibus gratiarum revocationi-

bus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet facien. comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac per omnes, et singulos ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

§ 7. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque Judices Ordinarios, et delegatos, etiam causarum Sacri Palatii Apost. Auditores, necnon S. R. E. Card. etiam de Latere Legatos, et Nuntios, ac pro tempore existentes in quavis causa, et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere irritum quoque, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 8. Non obstan. quatenus opus sit, Regula nostra de non tollendo jure quaesito, aliisque Cancellariae Apostolicae regulis, caeterisque *Constitut.* et ordinationibus Apostol. etiam in Conciliis generalibus editis, etiam specialiter in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congreg. Soc. et cujusvis alterius Instituti, etiam Soc. Jesu, et Monasteriorum, Collegiorum, domorum, ac locorum Regularium quorumcumque, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apost. vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, Indultis, et privilegiis etiam ex causa, et titulo oneroso, vel in limine fundationis, et in Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliter nuncupatis sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogationibus derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis Clausulis, nec non irritantibus, et aliis decretis, etiam motu, et scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine similibus, etiam ad Imperatoris, Regum, Regina-rum, Rerumpublicarum et quorumvis aliorum Principum, et personarum quacumque Ecclesiastica, vel saeculari dignitate fulgentium, seu eorum intuitu, et contemplatione, ac etiam consistorialiter et alias quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, et iteratis vicibus approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis quoad ea, quae praesentibus quomodolibet adversantur, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, et formis specialis, et individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut quaevis exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omissis, et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus specialiter,

et expresse derogamus cæteris contrariis quibuscumque.

§ 9. Volumus autem quod præsentis literæ in valvis Ecclesiæ Lateranen. et Basilicæ Principis Apostolorum nec non Cancell. Apost. ac in Acie Campi Floræ de eadem Urbe publicentur, et affigantur, quæ postquam affixæ, et publicatæ fuerint, omnes, et singulos, quos illæ concernunt, perinde ardeant, et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatæ fuissent.

§ 10. Quodque earum præsentium transumptis etiam expressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, et extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus, adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum etc.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnat. Dominicæ 1652. Idib. Octob. Pontificatus nostri anno Nono.

(6. Constitutiones Apostolicæ pro erigendis novis Conventibus sunt servandæ etiam extra Italiam, et in aliis Provinciis ultra montes, ut declaravit Urbanus VIII, die 30. Januarii 1638, in Congregatione de Propaganda Fide habita coram Sanctitate Sua, ut refert Nicolaus Lucubration. Canon. lib. 3. tit. 31. sub num. 14. (7. et iterum roboravit Innoc. X. Constitut. incip. *Instaurandæ* § 5. Tales Pontificiæ Constitut. servandæ sunt in erectione Conventuum omnium Regularium tam Mendicantium, quam non Mendicantium, quia præjudicium præexistentium consideratur, non tantum quoad quæstum, sed etiam quoad receptionem Sacramentorum, et ex quocumque alio capite; Sac. Congreg. Episcop. et Regular. in una Montis Regalis 21. Apr. 1690. (8. Immo servandæ sunt tales Constitutiones etiam in reassumptione Conventus antea derelicti, id est servandæ sunt ab omnibus illis Regularibus, qui redeunt ad Conventus, quos antea dereliquerant, ut respondit Sac. Congreg. Episc. et Regul. Archiepiscopo Turritano 17. Novembr. 1617. his verbis: « Cum Archiepiscopus Turritanus Sacram hanc Congregationem consulisset, an in reassumptione Conventuum Fratrum Minorum de Observantia suæ Diocesis, quos ipsi jam pridem deseruerant, servandum sit Decretum felic. record. Clement. Papæ VIII. super novorum Conventuum erectione editum? Illustrissimi ejusdem Congreg. PP. id omnino servandum esse censuerunt. »

(9. Insuper non solum decreta Apostolica servanda sunt in fundatione Conventuum, sed rigorosius in aperitione Hospitiorum, quæ permitti nullatenus debent ab Ordinariis, nisi ipsi Regulares ad hoc habeant facultatem specialem a Sacra congregatione, et ad unguem observent conditiones pro Hospitiis præscriptas in sequenti Decreto emanato in Causa Calaguritana de Bilbao, ubi fuit statutum. Patres Carmelitas Discalceatos posse continuare in Hospitio, vel potius ipsum reducere ad Hospitium sæculare cum habitatione, quæ tantummodo deserviat pro recipiendis religiosis itinerantibus, quod in

illo nulla servetur forma regularis, non erigatur Ecclesia, seu Oratorium formale cum janua in publica via, sed tantum Oratorium internum ad effectum inibi Missas, et Oraciones privatas pro illorum spirituali usu tantum celebrandi. Quod ibi Sacramenta non administrantur, nec fiant publicæ conciones, nec Divina officia, aliæque functiones peragantur, non tumultentur cadavera, nec retineatur campana, nec aliquod signum, quod vero Conventui adaptetur, et transcendat naturam et conditionem meri et simplicis Hospitii sæcularis, addita prohibitione quæstuidi, nec non quod Regulares ad illud se transferentes non assumant titulum Præsidentis, vel alterius Officialitatis, subjiciendo ulterius in casum contraventionis ipso facto pœnis contra Religiosos degentes extra Claustra, non obstante quacumque exemptione, aliisque arbitrio Sac. Congregat. Et quod super observantia præmissorum Provincialis, et Diffinitor valide se obligent coram Episcopo, qui Instrumentum dictæ obligationis ad eandem Sacram Congregationem transmittat. Romæ 15. Septembris 1699. Hanc Hospitii legem eadem Sac. Congreg. Episcop. et Regul. servari mandavit in Atrien. Hospitii a PP. Discalceatis S. Augustini 31. Aug. 1691. et in Veliterna a Carmelitis Discalceatis 5. Decembr. 1692. in utraque referente clar. mem. Card. Petruccio. (10. Et jam pluries consimiliter decreverat eadem Sac. Congregat. ut refert Nicol. in Flosculis verb. *Hospitium*, ubi pariter dicit, quod nequeunt Regulares reducere Hospitium in Conventum, ex Decret. 14. Jun. 1641. 27. April. 1646. et 13. Februarii 1647.

(11. Non sunt tamen attendendæ d. Constit. Apostolicæ in translatione Conventus ad alium situm ejusdem loci, vel ob salubritatem aeris, vel ob periculum ruinæ fabricæ, vel ob aliud grave incommodum, quia hæc non dicitur nova fundatio, et oppositiones aliorum Regularium obstare non valent; sic respondit Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in una Carmelitarum Excalceat. 4. Augusti 1625. in una Cappucc. 13. Septembris 1641. et in Ger. 19. Sept. 1687. his verbis. « Sacra etc. in causa, et causis vertentibus inter Fratres Carmelitas Calceatos Civitatis Ger. ex una, et PP. Societatis Jesu, Carmelitas Excalceatos ejusdem Civitatis, et litis Consortes, partibus ex altera, de et super translatione, fundatione, et constructione Ecclesiæ, et Conventus dictorum Fratrum Carmelitarum Calceatorum in domibus de Abrich per ipsos inhabitatis, partibus auditis, referente Eminentissimo S. Cæcilie, censuit, et declaravit supradictæ translationi, fundationi, et constructioni Ecclesiæ, et Conventus eorumdem Fratrum Carmelitarum Calceatorum in præfatis Domibus de Abrich, Constitutiones Apostolicas non obstare. » (12. Neque sunt attendendæ dictæ Constitutiones Apostolicæ, etiamsi translatio fiat ad situm, in quo reperiuntur constructi Conventus aliarum Religionum, quæ privilegium habent, quod novi Conventus non erigantur, nisi servata certa distantia; unde præexistentes Regulares,

neque tunc possent se opponere tali translationi, ut in simili casu vertente inter Patres Minores de Observantia, et Patres Capuccinos Corleonis Diocesis Montis Regalis respondit Sac. Congreg. Episcop. et Regul. præcisus his terminis: « Sacra etc. ad relationem Emin. Cæsarini utraque parte informante, iterum negotio mature discusso, censuit Constitutiones, et Decreta Apostolica super novorum Conventuum erectione edita, etiam in qua parte disponunt de distantia servanda inter Conventus jam erectos, et erigendos non habere locum, cum mutatur situs Conventuum jam erectorum in eodem loco, ac proinde standum esse in decisis præmissis, cæterisque contrariis non obstantibus, Romæ 9. Maji 1642. » Cujus Decreti, et alterius immediate allati exemplar authenticum fateatur habuisse apud se Monacelli tom. 1. tit. 6. formular. 19. num. 4. et 5. et ibidem n. 7. refert quod in Agrigentina inter PP. Cappuccinos, et PP. Minores de Observantia Reformatos, in qua pariter opponebatur intercedo novæ Fabricæ, ad relationem Card. Denkoff sub die 28. Mart. 1697, censuit: *Esse locum translationi facto verbo cum Sanctissimo.*

(13. Novus Conventus Regularium nequit erigi, et fundari sine beneplacito Apostolico, seu speciali Sedis Apostolicæ licentia, cap. 1. de excessibus Prælator. in 6. innovat. in Clementin. *Cupientes* § 3, in princip. de pœn. et in cap. unico § *Confirmatos*, de Religiosis Domibus in 6, in Constitutione Innocentii X. incip. *Instaurandæ* § 5. Rota part. 12. recent. dec. 289, n. 2. dec. 309. num. 2. par. 13. dec. 115. num. 1. (14. Neque fundari potest sine consensu Ordinarii; Conc. Trident. sess. 25. cap. 3, de Regularib. Urban. VIII, Constitut. incipient. *Romanus Pontifex* § 2, Rota part. 12. dicta, dec. 299, num. 4. et 11, dec. 309. num. 3, et part. 13, dec. 115. (15. Hæc duo requisita, scilicet Consensus Sedis Apostolicæ, et Ordinarii copulative requiruntur, ut declaravit Sacra Congregatio Episcop. et Regul. teste Rota p. 12, dec. 289, n. 7, cum sequent. dec. 309, n. 4, p. 13, dec. 87, n. 11, dec. 231, n. 9, et p. 18, tom. 2, dec. 536, num. 17. (16. Sine licentia Sedis Apostolicæ fundatio est nulla; dicta Constitut. Innocent. X. incip. *Instaurandæ* § 5, Rota part. 12, dec. 289, num. 8, part. 13, dec. 87, num. 4. (17. Sic pariter est nulla, si sit facta sine consensu Ordinarii; Conc. Trident. loco cit. Rota part. 12, dec. 289, num. 15, par. 13, et dec. 87, num. 5, par. 18, t. 2, dec. 536, num. 17, et seq. (18. Ordinario tamen licentiam denegante pro fundatione Conventus, est recurrendum ad Sacram Congregationem Episcop. et Regul. non autem ad Nuncium; Gregor. XV. Constitut. incip. *Cum alias* § 4, Rota part. 12, dec. 289, num. 17, et par. 13, dec. 87, n. 10. (19. Pro fundatione novi Conventus requiri consensum aliorum Regularium in talibus Civitatibus, et locis existentium, statuit Clement. VIII, Constitut. incip. *Quoniam ad institutum*, et Gregor. XV, Constitut. incip. *Cum alias* § 3, et tenuit Rota part. 12, dec.

289, num. 21, dec. 300, num. 8, et par. 13, dec. 87, num. 12. (20. Adeo ut Religiosi intra quatuor milliaria existentes propter locorum paupertatem, et eleemosynarum tenuitatem possent dictæ fundationi se opponere; Rota p. 13, dec. 115, n. 7.

(21. At quia D. Gregorius XV. d. Constit. incip. *Cum alias* § 3, post relatum dispositionem Clementis VIII, quod vocari, et audiri debeant alii Regulares, statim subjungit: « Vel alias Ordinariis locorum constiterit Religiosos Monasterii, Conventus, seu Domus Regularis sic erigendi, seu erigendæ absque detrimento Religiosorum in Monasteriis, seu Domibus antea in Civitatibus, seu locis ejusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim, commode, et congrue manuteneri, et ali posse; » videtur dicendum, quod non sit de necessitate exquirendus consensus aliorum Regularium, quando Ordinario constet novos Conventus erigendos posse commode, et sine aliorum præjudicio sustentari; quia illa dictio *Vel*, tamquam alternativa, cadit inter diversa, casusque disjungit, ex traditis a Gonz. ad reg. 8, gl. 48, num. 17, et gl. 52, num. 3, idemque importat dictio *Alias*, ut per Put. dec. 170, in fin. l. 3. in corr. et Bard. dict. 9, num. 3, et Pignatell. t. 1, consult. 32, num. 5. (22. Et in hac specie, quod per dicta verba Gregori tribuatur arbitrium Ordinariis vocandi, vel non vocandi Regulares, quando aliunde possunt esse certi de commoda sustentatione Regularium novi Conventus sine aliorum præexistentium præjudicio, seu detrimento, probat Cespedes de exempt. Reg. quoad Monast. edific. cap. 1, dub. 4, ubi respondit Peyrino in addit. ad Const. 3, *alias* 13, Urbani VIII, notabil. 2, contrarium asserenti ea ratione, quod dum Constitutio Urbani incipiens *Romanus Pontifex*, confirmat omnino Constitutionem Clement. VIII. incipient. *Quoniam*, tollit arbitrium, quod Gregorius in d. Constit. incip. *Cum alias* Episcopis tribuerat; Quæ Peyrini assertio, et ratio revera non subsistit, quia Urbanus VIII. non solum confirmavit Constitutionem Clementis VIII. sed etiam Constitutionem Gregorii XV. a quo est concessum Episcopis dictum arbitrium, et dictam Constitutionem Gregorii XV. fuisse confirmatam, et non abrogatam per Urbanum VIII. declaravit Sac. Congregat. Concil. teste Rota part. 12. dec. 107, num. 30. et hanc sententiam tenent Cespedes loc. cit. Pignat. loc. cit. Monacell. tom. 1. append. ad formul. annot. ad d. Constitutiones post Constit. *Instaurandæ* num. 7. Passerin. in cap. Unico de excessib. prælator. a num. 50. ad 64. in 4. lib. Decret. in 6. et alii passim. (23. Et ratio est clara, quia cum ex dietis Urban. VIII. confirmaverit nedum Constitutionem Clementis, sed etiam Constitutionem Gregorii, et Constitutio Gregorii sit quantum ad hoc moderativa Constitutionis Clementis, stat clarum quod ex vi Gregorianæ non sit amplius de necesse exquirendus consensus aliorum Regularium, quando Ordinariis constat novos Conventus erigendos posse commode, et sine alio-